





DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
SISTENS COGITATA

DE

IEIVNIO VERO ET FICTO

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO

CAROLO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET  
GVESTPHALIAE LANDGRAVIO THVRINGIAE REL.

CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

P R A E S I D E

D. CHRIST. GOTHER. GRVNER

SERENISS. DVC. SAXO-COBVRG. ET SALTZBURG. A CONSIL. AVL. SANCT. ET  
ARCHIATRO SERENISS. DVC. SAXO-VINAR. ET ISENAC. A CONSIL. AVL.  
BOT. ET THEORET. PROF. PVBL. ORD. CET.

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMSIQVE IN MEDICINA ET CHIRVRGIA HONORIBVS  
ET PRIVILEGIIS RITE CAPESSENDIS

A. D. XVI. APRILIS MDCCCXCIV.

PVBlice DEFENDET

A V C T O R

CAROLVS FRIDERICVS CHRISTOPHORVS  
WAERLICH

BLANCKENHAINA - HAZFELDENSIS.

I E N A E

TYPIS STRANCKMANNIANIS.

17

LEIVNIO VERO ET FICTO

SPERANZA... AG. BOLINO

CAROLO AUGUSTO

D. CHRIST. GOTTL. GRÄNER

PRO GRADU DOCTORIS

CAROLVS FRIBERIVS CHRISTOPHORVS

WARTHON

BRUNSVIGIAE, HALLENBERGII



SERENISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO  
DOMINO  
FREDERICO CAROLO

S. R. I.

PRINCIPI AB HATZFELD TRACHENBERG ET  
PRAVSSNITZ

COMITI GLEICHAE NOBILI DOMINO WILDENBURGAE  
ET CROTTORD DOMINO IN HALBERGSTETTEN ET  
LAVTERBACH DOMINO HEREDITARIO IN BLANCKEN-  
HAIN CRANNICHPELD CRACKENDORF WANDERSLEBEN  
SCHVEPF WALMANSHOCKEN SKALCKE DLOSKOWITZ  
PODSEDITZ ET LVCKAWITZ ETC. ETC.

DOMINO SVO LONGE  
CLEMENTISSIMO

HAS  
PRIMITIAS ACADEMICAS

OMNI QVO DECET

OBSERVANTIAE CVLTV

D. D. D.

SE RESQVE SVAS  
OBSERVANTISSIME COMMENDAT

AVCTOR

## PRAEFATIO.

**T**otus homuncio quam miser est! Inde ab utero matris usque ad vitae finem patet variis morborum generibus, fortunae telis, hominum iniuriis, bellorum tormentis, regionum vastationibus, urbium excidiis, omnium rerum ad vitam sustentandam necessariarum inopiae, tandemque aerumnis fessus, fame maceratus et enecatus perit. Quam misera et deplorabilis hominum sors est! Esurit alius necessitate, cum pauper sit, alius, ut stoicus esse perhibeatur, alius desperatione, ut vitae exitum inueniat, alius libertatis potiundae furore, alius iussu civis ad gubernaculum reipublicae constituti, ut patriae amantissimus esse videatur, alius sponte sua, ne vnus ex plebe sibi lautas epulas exprobet, vel viam ad supplicium vtilimum aperiat, alius religionis studio, ut delicta carnis et animi peccata inedia expurget, alius mente captus vel febris impetu fractus et taedic carniarum pressus, iubente natura et medico, ne, dum in contra-



rium ruit, gulae poenam luat. Esuriunt ergo omnes, sed varia ratione ducti. Sunt enim, qui abstineant ab alimentis, quia vitium subest, quod viam prorsum intercludit, sunt, qui cibos auersentur ob materiam prauam ori et stomacho inimicam, sunt, qui solida recusent, humores non item, sunt denique, qui inediam affectent et simulent, sed, remotis arbitris et custodibus, sese largissime inuitent, vt specie morbi extraordinarii alios fallant et ad misericordiam commoueant, sibi et suis comparent, vnde per desidiam bene ac commode viuant. Dantur ergo *varia ieiuniorum genera, alia vera, alia falsa vel simulata, alia media vel dubia*, in quibus, morbus, an fraus subsit, coniectura assequi vix liceat. Medici ergo est in casu dubio prouidere, ne temere pronunciano et fama, et arti noceat, sustinere iudicium, donec rem penitus cognitam habeat, mollire animos eorum, qui insanendo corpus enervant, augere securitate eorum fraudes, qui se sine cibo esse ac viuere gloriantur, sed clam cutim curant, tandem id facere sedulo, vt, tales cum sint, in custodiam tradantur veritatis eruendae caussa, ne in posterum talia impune fieri liceat.

Fuere pristinis seculis, qui talem hominum inediam litteris mandarent, sed hoc quam maxime mirum est, egenos et miseros hoc morbi genere fere confici, diuites minime, magis feminas, quam viros, easque hystericas vel vetulas, magis eas, quae religionem pontificiam pro-

[siten-





fitentur, cum in hac sit maior et misericordiae virtus,  
et sanctitatis fama. Videtur ergo mihi pro consequendis  
summis in medicina honoribus opellam scripturo neque  
a scopo alienum esse, nec indignum medico in hac ma-  
teria paullum morari, et, quatenus ferri defendique pos-  
sit talis inedia, curatius inquirere, cum eo tamen, vt  
fere intra historias me contineam, quae ad manus sunt,  
quam vt aliorum scrinia compilare studeam. Suum cui-  
que lubens tribuo, mihi tantum sumo, quantum e re  
est, vel per tempus licet, cetera iis commissurus, qui  
naribus suis praeclare vti didicerunt.

SECTIO



---

## SECTIO I.

### DE FAME ET IEIUNIO IN GENERE.

---

#### §. I.

**E**a est naturae humanae conditio, vt diu saluus et incolumis homo sine cibo et potu esse nequeat. Obnoxius est perpetuae iacturae a tritu partium, ab actione vasorum, a motu musculorum, ab egestionibus humorum, ab acrimoniis, ab incremento corporis aliisque innumeris noxis, debet ergo quotidie ac suo tempore resarciri, quod dentum corpori erat. Intus est velutique monet *fames naturalis* \*), ne diutius, ac par est, abiiciamus vitae valitudinisque curam, instat et vrget *ventriculus* \*\*), *praecepta non audit, possit, appellat, non est tamen molestus creditor, paruo dimittitur, si modo das illi, quod debes, non quod potes.* Quiescit sensus longe ingrattissimus, velutique sedata *fames* cessat, donec ab inopia materiae nouus stimulus superaccesserit. Tunc nouus cibus recreat, hostem auertit et fugat, vires amissas restituit, massam humorum instaurat, solida firmat, aut si quando, cibus defuerit, potus inopiam supplet, et vicariam opem praestat. Sic cauit natura, ne ante tempus depascamur, sed perpetuum,

\*) *Haller Elem. Physiol. T. VI. p. 164. sq.*

\*\*\*) *Ita praeclare Seneca Epist. 21.*



mus, sic vel inuitos homines impedit atque cogit ad explendam necessitatem, neque dimittit, nisi saturos atque plenos, abacta famis caussa, quam siue in actione ventriculi quaeras, siue humori gastrico tribuas, mihi iam periinde est.

§. II.

*Fames praeternaturalis siue morbosa* subest, si quis immensam alimentorum vim ingurgitat, et vix dum ab epulis surgens iterum voracissimum gurgitem aperit, ne quod in ventriculo vacuum supersit. Inest ergo bulimo et vehementissima sumendi cibi cupiditas cum lipothymiae metu, et satietas nulla, cum aegri breui in idem vitium recidunt, in fame canina \*) et voracitas, et turpis materiae vomitus, in fame lupina et ingurgitatio, et inuoluntarius per aluum exitus. Non ergo parit iste appetitus voluntati, parit ingratisimos dolores, quibus ventriculus acriter pungitur velutique laceratur, excitat tormina immanissima, facit bilem rodentem ac vellicantem, nauseam, animam fetidam, animi deliquium, febrem, humorum acrimoniam, maciem foedam, nisi auferatur id, vnde vitium gliscere coeperat, vel medicamentis, vel alimentis. Semper ergo insunt corpori quaedam irritamenta, quibus homo adigitur ad sumendos cibos, vt et sensus cesset, et membrorum virtus integra maneat, irritabilitas et sensibilitas auctior, qualis fere propria est hystericis, caelum frigidum, magna et protracta inedia, labor nimius, acor adeo acer, vt ab acido vitrioli maior molestia esse nequeat, vermes, materiae acris ad interiores partes recursus, morbus grauissimus,

\*) *Lindner* Diss. de fame canina, Hal. 1760.



mus, sed iam superatus, nonnunquam grauiditas et pilhis, item callosa ostiorum ventriculi angustia\*), vel spastica constrictio etc. Alii per famem magnam et infatigabilem compulsi sibi non potuerunt temperare ab rebus alienis, absurdis, foedis, abdominandis\*\*), vel per necessitatem et inopiam rerum, vel per phantasiam laesam, ut fere commune est grauidis\*\*\*), alii nec sibi, nec aliis pepercerunt, hominum viscera quam audivissime deuorauerunt. Tanta est famis vis, ut nescelestissimam quidem coenam homo abhorreat, mitissimum hominem vulturum more agere cogat.

### §. III.

Contraria fami est *inedia*, cum quis sponte vel coacte cibos assumere nolit, debet ergo sensus naturalis vel imminui, vel prorsus tolli. Iam vero hoc nec esse, nec ferri diu potest sine damno corporis, sequuntur languor, frigus perpetuum, sanguinis ceterorumque humorum defectus, acrimonia, putredo, cacochymia, gingivae cruentae, macies, anima foetens, ab corruptis humoribus cardialgia et dolor colicus, nausea, vomitus, diarrhoea, febris haemorrhagiae, delirium, furor, et intra paucos dies mors. Ieiunium illud minus bene tolerant infantes et iuniores, agiles, cholericus, magis aetate proejectiones, maxime hystericae feminae et melancholici, sed ita, ut ante obitum notas acerrimorum humorum referant, omnia reuomant, rarissime mollientibus seruentur. Inediae fons et origo interdum latet in aepsia, dyspepsia, diaphthora,

\*) Triller Diss. de fame letali e callosa oris ventriculi angustia, T. I. Opusc. p. 3. seq. et Langguth Progr.  
 \*\*) Bochner Diss. de polyphago et allotriophago Vitebergensi, Viteb. 1757. et Vogt Comm. de polyphago et lithophago Hefeldae nuper mortuo et dissecto, Gott. 1776.  
 \*\*\*) *Abaallatif* Deuckwürdt, Aegyptens, Abschn. 2. S. 304. seq.

thora, in stomachi torpore, in humorum, quibus concoctio fit, inertia vel inopia, et acrimonia varia, maxime pituitosa, biliosa, nidorosa, interdum subest materiae metastasis, ira, cura, moeror, et quidquid debilitat, huc faciunt sanguinis vel seri egestio, rei venereae nimietas, menstruorum et haemorrhoidum vitia, morbi febriles et longi, maxime viscerum abdominis infarctus, in quibus fere cadit appetitus, vel neruorum vitia, vel longum otium et somnus. Solent enim insecta et animalia frigida per hiemem sine cibo esse, sed, discusso somno et torpore, paullo voraciores esse. Est ergo ieiunium, vnde demum cunque ortum sit, naturae inimicum, rationi veraeque religioni contrarium, vires pessumdat, functiones corporis turbat, mortem inenitabilem serius ocyus inducit, nisi de tempore ad pristinam ciborum vsuram redeant, differtur mors, si potus suppetit, et corpus cubando quiescit, aufertur minime, et omnium crudelissimum putandum est, aliquem carcere detentum fame necare. Qualem poenam Pisani comitis UGOLINI \*) filiis inflixerunt, et fratri suo IOANNES, dux Saganensis. Nam Pribusiae adhuc extat turris, cui ab eo tempore nomen est *Hungerthurm*.

§. IV.

Neque vero haec naturae lex adeo firma et immutabilis est, vt sine exceptione vera sit, neque adeo suis circumscripta limitibus, quin vel necessitas, vel vitae genus, vel pauperies et consuetudo, vel morbus, vel fraus \*\*) eam regulam exulare iubeat, vita sine cibo aliqua subsit, sed minima et somno similior, potu nonnunquam mollita, cum citata morte, si vtrumque deficiat. Asitia

B 2

fere

\*) *Cardan.* in *Aph.* n. 42.

\*\*) Talem adfert *Haller.* l. c. p. 171.



fere propria est feminis hysteriis, item hominibus stupidis, stultis, senibus, lethargicis, melancholicis, manicis, emaciatis, tristitia et metu lymphatico pressis, ecstaticis, catalepticis cet. In his equidem caussam mali video, lenimen in potu deprehendo, per breue temporis spatium istam inediam, spontaneam, religiosam, morbosam, ferri posse concedo, sed vehementer dubito, si quae feminae per menses et annos sine cibo et potu superuixisse perhibentur. Requirit et desiderat natura suum debitum, neque consistere potest sanitas, functionum integritas et ipsa vita sine nouo virium fomento. Minima cum vita carere aliquamdiu possumus cibo solido, humido minime, neque in febrilibus locam habere potest per hebdomadas ieiunium, nisi medicamenta et varia potus genera humorum acrimoniam lenirent, solida munirent. Etiam bibones etiamsi nihil comedunt, tamen potu vitam sustinent, donec hydrope tumere coeperint. In his ergo aegris, qui vere abstinuissent a cibis dicantur, deerat vel ratio, ut de sensu naturali iudicare possent, vel sensus integritas, sine qua ne stomachus quidem naturae iussis obedire solet, vel aderat otium et longa in grabato cubatio, sub qua, cum parum corpore diffleret, egestio nulla fiat, pulsus paruus et debilis sit, minima nutrimenti pars sufficit ad vires paululum sustinendas, vel putrida humorum conditio, si quando vlcus ventriculorum vel hepar occupasse visum est. Tunc vero et vis vitalis deficit, et cacochymia foeda corpus onere deturpat. Contra si fit, et aeger aliquis, etiam si nullo cibo uti videatur, bono corporis habitu est, sui conscius, viribus vel post menses ac annos integer, equidem fraudem subesse censeo, quia haec cum alimenti detractione etiam minui, prosterni et tolli oportuit.



## §. V.

Ex his satis superque colligitur, incidere quidem vere posse per ecstasin vel morbum in homine ieiunium, quod breui aut remediis concedat, aut occidat, saepius illud esse fictum vel simulatum, de quo in medicina forensi copiose quaeritur, nonnumquam religiosum s. ecclesiasticum \*), quo homines vel adstringuntur, vel eximuntur ex medicorum consilio. His ergo sua si fides, medicinae auctoritas constare debet, quam maxime providendum est, ne quid nimis vel temere e tribunali sedentes iudices pronuncient. Nam, ut bene BINJAMIN MYSSAPHIA \*\*) statuit, *sine evidenti noxa amplius tridui inedia raro ferre homo valet.*

## S E C T I O II.

## HISTORIAE IEIUNIORVM.

## §. VI.

**R**estat, ut ieiunia singulatim persequamur, quibus affligi nomen vel apud posteros meruerunt. His enim nec mane ientaculum, nec a meridie prandium, nec vesperi merenda vel coena placuit, nec pleno ventriculo intramvis aurem dormire, sed corpus inedia ita macerare.

B 3

20

\*) Sikora Conspect. Med. forens. P. III. c. 4. p. 55.

\*\*) Sacro-med. Sententiae Hamb, 1640. p. 67.



ac frangere, vt purior esset animus scilicet. Sed meliore male habitat animus in corpore emaciato et enerui, neque si malus humor vrit ac pungit stomachum, vigor eius integer esse potest. Vera enim sobrietas idoneam alimentorum vim cuique permittit, neque ad praescriptum cibos metiri iubet. Suo, quisque modulo vititur. Quod ultra est, quam sanitas requirit, fomentum morbi putandum est.

## §. VII.

Legitur in sacris litteris MOSES \*) quadraginta dies sine cibo ac potu fuisse, similiter ELIAS \*\*) vates, maximeque omnium CHRISTVS \*\*\*) sospitator, de quo IO. IAC. BAIERVS \*\*\*\*) quaedam commentatus est, plurima ante et post eum theologi. Iam vero VOC. *νηστεύειν*, quo MATTHAEVS vititur, in sensu medico est *abstinere*, nihil ciborum assumere, et LVCAS per *οὐκ ἐφαγεν*, idem illud significat, quaeritur ergo, vtrum isthoc ieiunium naturale, an supernaturale fuerit. Prius equidem libenter affirmarem, si medicorum historiae de longa et annosa fame satis certae forent, posterius etiam concederem, si theologi recentiores et philosophi adhuc aliquid darent miraculis †), a  
qui.

\*) Exod. 34, v. 28.

\*\*) 1 Reg. 19, v. 8.

\*\*\*) Matth. 4, v. 2. Luc. 4, v. 2.

\*\*\*\*) De ieiunio et fama I. C. in Animadv. phys. med. in quaed. loca noui Test. p. 11. recus. in Goetzii Var. celebr. medicor. Obs. quib. multa loca noui test. illustrantur, Fasc. I. Alt. 1740. n. 6, p. 63.

†) Grundsätze der Vernunft und Erfahrung in ihrer Anwendung auf das Wunderbare 1791. et Euclides anti-thaumaturg. oder demonstrat. Beweis von der Unmöglichkeit hyperphys. Begebenheiten



quibus ista inedia proxime abesse videtur. Dubius etiam haeret BAIERVS †), quod post tantam inediam demum naturalis fames redierit, integris viribus, sine vilo languore, etiamsi inter assiduas Satanae tentationes versatus fuerit; Languere enim proprium est esurientium. Sed de his equidem iudicare non audeo. Dauus sum, non Oedipus, at si quid hariolari licet, equidem spiritum pro paroxysmo haberem, rem pro visione vel ecstasi, quae, iudice GVIL. ADERO \*), est mentis abreptio, qua deus opt. max. se per condescensum humanae creaturae exhibet, nullo mediante morbo aut aliqua causa praeter naturam morbifica. — Quos se videre contigit in ecstasi abreptos, saepius dices attonitos aut epileptico quodam insultu conuulsos. Apertis enim et intentis in caelum oculis, subpallida facie, tenso et erecto corpore aut genibus deuoluto manent immobiles, donec visionum caelestium lumine expleti et sanctarum cogitationum epulis saturati ad se redierint. Pergit ulterius. Ecstasis est sensus et motus abolitio, ecstatici plane immoti manent. — Ecstasis diu sine virium dispendio durat et detinet. Post ecstasin demum locum habet, ὄστρον ἐπεισας i. e. sensus iterum liquoris gastrici stimulum. Quae post scribuntur, nonam ecstasin s. accessionem indicare videntur, et tunc variae se offerunt imagines, diabolus, angeli etc. Mens extra se posita non sentit gulae irritamenta, intra se moratur, neque dies noctesque ciuiles scrupulosius numerat, sed ex opinione ac coniectura. Quatenus vero haec fieri potuerint naturaliter, id est, sine dei flatu, equidem definire non ausim. Videant theologi.

## §. VIII.

heiten. German. 1791 sed mihi quidem videtur auctor esse nimis audax in reprobandis miraculis, cum vel ipsi Deo rationem et voluntatem inesse p. 39. neget.

†) Ib. p. 95.

\*) Enarration. de aegrotis et morbis in euangelio Tolos, 1621. Enarrat. 8. p. 359. 361. 363. 364.



## §. VIII.

Sequitur ieiunium quadragesimale, quod saluberrimum et corpori, et animo dixit SAL. ERN. COHAYSEN \*). Hoc vero equidem tanti non facio, quanti alii. Neque enim licet per quadraginta dies cibis omnino abstinere, ergo per decreta ecclesiae carnis vsus prohibetur, piscibus et quibuscunque aliis vesci licet, hinc istud ieiunium per se nullum est, nec hodie *priscae severitatis umbram* \*\*) habet, dum coenas excarnes quidem, at aliis victus delictis opulentas instrui permittit, nec parte ipsarum carnum veniam tot indulgentiis dispensat. Neque etiam laudabile id est, quod sanitati aduersum est, neque sobrietas decretis ecclesiae iussa certo die ac tempore placere potest, cum, inuenta lege, facile fraus inueniatur, et sanus homo, qui bene valet et suae spontis est, nullis obligare se legibus debeat \*\*\*).

## §. IX.

Datur aliquod hominum genus hybridum, cui nomen monachi est, vt physiophilo \*\*\*\*) videtur, animal anthropomorphum, cucullatum, noctu eiulans, sitiens, lucifugum, claustris inclusum, breuiario et choro intentum, otio diffuens, in otio semper otiosum et saginatum, precibus et ieiuniis clarum, a vitae humanae gaudiis seclusum, intra se sapiens vel desipiens, mundanis rebus erectum, sed inhians, eremita inter medios homines fenestratus, nunquam

\*) Diss. in epist. Benedicti XIV. de ieiunio quadragesimali, Frfrt. 1751.

\*\*) Ita satis recte Ge. Gottl. Richter. V. Diss. quatuor med. de morte seruatoris in crucis, ieiuniorum noxis --- Gott. 1774. p. 63. v.

\*\*) Ita praeclare Cels. De Medicin. I. 1.

\*\*\*\*) Specimen monachologiae methodo Linn. tabb. trib. aen. illustrat. A. V. 1785.


quam re sua contentus, capite tonso, saepenumero vacuo. Sed male conueniunt otioso quies et solitudo †), neque satis tutus ab amoris telis est monachus. Videt et miratur inter orandum mulieres forma speciosas, putat esse malum spiritum, *ieiunio monastico* corpus excarnificat, flagris caedit, intus vrit. Nullius ergo frugi est abstinentia fucata. Alius enim monachus, teste locupletissimo physiophilo, raro ieiunat, alius iuniores fame macerat, sibi non temperat, alius abstinet a carne, sed cibo satiatus ex instituto dormit, alius cibum et potum omnem appetit, alius respuit carnes, lacticina, oua, vescitur piscibus, auibus, testudine, ideoque corpori bene prospiciunt omnes, sed varia via, sub specie religionis non cibus se continent, sed ciborum generibus, prudentius varia gulae blandimenta miscent, cum delectet variatio.

## §. X.

Missis monachis spurio ieiunio insignibus, progrediamur ad medicos, vt, quas illi narrant fabulas, vel exhibent historias, paucis inquiramus, sed ita, vt strictim et carptim persequamur eos casus, quorum nobis copia est. Prima est *abstinens Confolentanea* \*), quae sub auctore THVANO iam a. 1599. sua inedia claruit, puella XIII. annos nata, post febrem continuam, in qua assidue vomuerat, voce priuata, sensus et motus expers, oesophago resoluta, hinc abstinens propter impotentiam deglutiendi cibos,

†) Vid. de his Perill. Zimmermann Von der Einsamkeit B. 1. S. 204. maxime B. 2. S. 168. sq.

\*) Abstinens Confolent. per Fran. Citesum, Aug. Pict. 1602. recus. in eius Opusc. med. p. 53. et ap. Lentul. p. 152. Cf. etiam *évrotin Quercetan.* Diaetet. Polyhist. II. 4. p. 199. Nominat etiam Puellam Spirensem a. 1542. Jo. Lang. Epist. med. II. 27. p. 199. aliam *Catharinam H. Smetius* Miscell. X. p. 551.



cibos, cum tæbe ventris et atrophia omnium musculorum, vberibus turgidulis, cruribus et brachiis torosis, facie rotundula, labiis rubellis, munia domestica obiens, sine fecibus, vrina et reliquis excretionibus. Quæ si inter se confero, anceps et dubius hæreo, vtra in parte sit veritas. Video puellam sine menstruis, paralysi oesophagi et membrorum inferiorum tentatam, hinc atrophicam, video causam symptomatum, sed torositatem partium, oris ruborem, rei domesticæ curam, ab iis plurimum dissentire puto, neque vsquam deprehendo curatorem inquisitionem, hinc eam inediã fictam esse puto.

Idem sentio de puella decenni *Vnnensî*, cuius Io. WIERVS \*) meminuit, quæ vitam primo sine vino et cereuisia et lacte traxisse perhibebatur, deinde sine his, sed clandestinum bibere ac comedere solebat. Hinc non possum non STEPH. RODERICO CASTRENSI \*\*) assentiri, qui talia ieiuniorum exempla in nugis et præstigiis reponenda censuit.

Neque prodigiosam puto APOLLONIAE SCHREIERAE \*\*\*) inediã. Erat puella vndeiginti annos nata, lectulo incubans, motus membrorum non expers, musculis faciei et reliquarum partium carnosis, genis rubore perfusis, labiis corallinis, lingua molli et bene colorata, saliuã affluente, naribus moderate humidis, mente integra, mensibus non fluentibus, excrementis nullis, macie nulla, calore iusto, visceribus abdominis integris, inedia per triennium protracta

\*) De comment. ieiun. p. 748, *Opp.*

\*\*) De asitia tractat. Flor. 1630.

\*\*\*) Hist. admiranda de prodigiosa Apolloniae Schreierae inedia a P. Lentulo trib. narrat. comprehensa. Bern. 1604. 4.

tracta, haec, inquam, erat aut hysterica, aut fraudulenta. Nam postquam \*) mater ab ipsa abstracta fuerat, noctu tanta humoris foetidissimi per urinarium meatum copia erupit, ut lectus totus permauerit adeo, ut lodices et culitrae fuerint mutandae etc. Ego vero non possum stare a LENTULI partibus, hanc inediam veram extstimantis, neque rem longius et curatius observantis. Abhorrent symptomata, abhorret facies adpectu sana et torosus habitus, abeat ergo ista puella cum pluribus.

Succedit MARIA LEHNFELS \*\*), quae per quinquentium, ut rumor erat, sine cibo ac potu, sine excrementis ac voce cum corporis habitu toroso, vixisse, delirasse vereque soporosa iacuisse, paullo ante mortem resipuisse ac comedissee dicitur. Hoc in morbo et commune vitium est inedia, et reditura mens mortis imminentis nota.

De ZETTLERIA \*\*), quae dicam, non habeo, cum libellus non suppetat, vereor tamen, ne propius absit a vero propter decennem abstinentiam a cibo et potu, sine quo vita consistere tam diu non potest.

Famigeratissimum est M. MONICAE MUTSCHLERIAE \*\*\*\*) ieiunium. Haec quidem post puerperium spasmis tentata, deinde febre intermittente quotidiana per trientem anni vexata, somni expers per triennium, mensuris suppressis

C 2

\*) Ita *Lentul.* ib. p. 11.

\*\*\*) Wahrhafte u. nützl. Beschreib. eines besond. u. merckwürdig. Casus Inediae — v. C. I. Loffau. Hamb. 1729. 4.

\*\*\*\*) Krankengeschichte d. A. Mar. Zettlerin, welche 10 Jahr lang ohne Speise u. Trank lebte — von I. G. Hofstie 1780.

\*\*\*\*\*) V. Franz Jof. Hofers philos. med. Gedanken von dem Zustand. M. Mitschlerin, Ulm 1774. Abhandl. von d. ausserordentl. Fasten d. M. M. Mitschler von Ge. Karl Staravasnig 1. Th. Freyb. 1780. 2. Th. Wien 1782. Erat vero auctor primum strenuus ieiunii defensor, deinde scripsit retractationem, detecta fraude.



pressis aegra, hinc hysterica \*) dicta, stomacho debili, vt credebatur, lecto semper recubabat, sed tandem, fraude detecta \*\*), poenam ignominiosam subire cogebatur. Mirum hocquam maxime est, quod narrator historiae, STARAVASNIG, huic ieiunio fidem habuerit, cum ea, quae ab amicis aliisque referebantur, viderentur ab initio fabulae simillima.

Restat vltimus casus, quem litteris consignauit Cl. VOLTETEN \*\*\*). Femina ab moerore graui incidit in languorem et hystericum morbum, in quo post lipothymiam, conuulsiones atque vomitum et debilitas corporis successit, et appetitus prostratio, et syncope crebra, et haemorrhagia narium ac vteri. Recreata est primum haustu aquae, deinde ob fastidium ipsum lac et coffeae potum abhorruit, tandem ad exitum vitae vsque, id est, per sexennium, vitam sustentauit aqua simplici, aqua ex herba theae infusa, saccharo et parca spiritus iuniperini copia, aluo nulla, mensibus inordinatis, colore cachectico, sanitate tamen integra, pedibus potens, munita medico testimonio, aliis parata pecunia se spectandam prae-buit, redux a nundinis febre correpta periit. Ecce iterum femina pauperula, ecclesiae catholicae addicta, superstitionosa, hysterica, ventriculi et intestinorum contractione aliqua laborans, quae humidis solis sibi prouidebat, sed, vt mihi quidem videtur, alios etiam fallebat ieiunio affectato. Fluida paullum sustentare corpus poterant, va-litudinem integram et ambulationem longinquam dare non poterant. Etiam Amstelodamum et Traiectum adiit  
co-

\*) Ita videtur *Hofero* l. c. p. 13.

\*\*) Hanc memorat Cl. *Mai* in *Rhein. Beytrüg. Mannh.* 1781. Heft 3. et *Reichard Med. Wochenblatt* 1781. Quart 1. St. 4. S. 60. et S. 336.

\*\*\*) *Diatribes* memorabil, septennis apositiae historiam exhibens, L. B. 1777.

comitata viro, valitudinem lucrosam \*) fecit, cum maritus esset auarus et paullo durior. *Occupauerat foeminam, inquit Cl. VOLTETEN \*\*), attonita quaedam et superstitiosa persuasio irae caelestis ob impia mariti vota, qui cum esset auarus et inuideret coniugi, cibum auidè deuoranti, execraueras saepe et precatus erat inediam septennem.* O praeclarum augurem, quem augurium non fefellit! Fraudem subesse puto, talia cum fierent, examen non satis diu et curate institutum desidero, auro venalem fidem in viro suspicor, custodiam certam anquiro, septennem inediam in suspensio relinquo.

## §. XI.

Sed hac hactenus. Plura scribere per temporis angustias nec licet, nec lubet, id tamen mihi persuasissimum habeo et audacter affirmo, plurimos inediae casus fuisse fictos, paucissimos veros, hos vero eatenus assumendos videri, quatenus vel morbus, vel vitium eorum instrumentorum, quibus deglutitio et concoctio peragitur, certo adferri et confirmari potest. In his aegris, quibus fides publica deest, doctrina medica repugnat, valitudo integra per annos est, equidem sum incredulus, neque vlli auctoritati me mancipo. Nusquam satis tuta fides est, haud raro dubia in ipsis obseruatoribus, quorum e re est incredibilibus fallere vel inclarescere.

\*) L. c. p. 7.

\*\*) Ib. p. 51.

---

T H E S E S.

I.

*Variolae artificiales praesant naturalibus epidemicis.*

II.

*Solutio et extractio placentae plerisque in casibus statim post partum adhibenda.*

III.

*Infantes ad morbos convulsivos procliviores sunt adultis.*

IV.

*In plerisque morbis victus potius, quam medicamentorum ratio habenda est.*

V.

*Vita mollis es causa debilitatis.*

VI.

*Graviditas nunquam usum vomitorii, caute dati, contra indicat.*

VII.


*Initium hydropis pectoris ex certis signis cognosci nequit.*

VIII.

*In hydrope, roborantia non sunt negligenda.*

---







Zella, Hist., 1790-1800



f

h.





Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
SISTENS COGITATA

40.

DE

IEIVNIO VERO ET FICTO

*Reuter  
1890.*

1794,3

12

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO

CAROLO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET  
GVSTPHALIAE LANDGRAVIO THVRINGIAE REL.

CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

PRAESIDE

D. CHRIST. GOTFR. GRVNER

SERENISS. DVC. SAXO-COBVVG. ET SAEFELD. A CONSIL. AVL. SANCT. ET  
ARCHIATRO SERENISS. DVC. SAXO-VINAR. ET ISENAC. A CONSIL. AVL.  
BOT. ET THEORET. PROF. PVBL. ORD. CET.

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISSQVE IN MEDICINA ET CHIRVURGIA HONORIBVS  
ET PRIVILEGIIS RITE CAPESSENDIS

A. D. XVI. APRILIS MDCCCXCIV.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

CAROLVS FRIDERICVS CHRISTOPHORVS  
WAERLICH

BLANCKENHAINA - HAZFELDENSIS.

IENAE

TYPIS STRANCKMANNIANIS.